Beatissime Pater

Ut animarum saluti devotorum oratorum vestrorum Susanne Abbatisse Paule Margarete Caterine Domeline Benedicte Maure Jeronime et Anne Monialium Monasterii sancte Caterine Castri Boncin ordinis sancti Benedicti Cremonensis diocesis ac Caterine famule in dicto Monasterio Francisci de Stanghis laici dicte diocesis et eius uxoris et utriusque sexus liberorum salubrius consulatur Supplicant sanctitati vestre prefati oratores et oratrices quatinus eis specialem gratiam facientes ut Confessorem ydoneum secularem vel cuiusvis ordinis regularem presbyterum quem eorum quilibet duxerit eligendum ipsos et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis ac votorum quorumcumque ecclesie mandatorum et iuramentorum transgressionibus ieiuniorum penitentiarum inmunitarum horarum Canonicarum et divinorum officiorum omissionibus Manuum violentarum in quasvis personas ecclesiasticas non tamen prelatorum de preterito iniectionibus Homicidii mentalis vel casualis adulterii et incestus reatibus Quibusque aliis eorum peccatis quantumcumque gravibus de quibus corde contriti et ore confessi fuerint etiam si talia forent propter que sedes apostolica merito foret consulenda Et reservatis exceptis contentis in Bulla Cene domini semel in vita et in mortis articulo De aliis vero sedi apostolice non reservatis casibus totiens quotiens opus fuerit absolvere et penitentiam salutarem iniungere Vota vero quecumque Ultramarinum Liminum Apostolorum Petri et Pauli de Urbe ac Jacobi in Compostella Religionis et Castitatis votis exceptis in alia pietatis opera commutare et iuramenta quecumque sine alieno preiudicio relaxare Ac semel in vita et in mortis articulo plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et absolutionem apostolica auctoritate impendere possit Liceatque eis et eorum ac earum cuilibet presbytero Nobili vel qualificato habere Altare portatile cum debitis reverentia et honore super quo in locis ad hoc congruentibus etiam non sacris et ordinaria auctoritate interdictis dummodo causam non dederint huiusmodi interdicto etiam antequam elucescat dies circa tamen diurnam lucem in sua et familiarum suorum domesticorum presentia Missas et alia divina officia celebrare aut celebrari facere et illis interesse ac Eucharistiam et alia sacramenta ecclesiastica preterquam in Pascate et sine Rectoris preiudicio recipere et oratorum decedentium corpora tempore huiusmodi interdicti ecclesiastice tradi possint sepulture sine tamen funerali pompa Necnon ut unam vel duas ecclesias aut duo vel plura Altaria in partibus ubi oratores pro tempore residebunt Quadragesimalibus et aliis diebus Stationum Urbis cuiuslibet Anni devote visitando tot et similes indulgentias et peccatorum remissiones consequantur quas consequerentur si singulis diebus easdem singulas dicte Urbis ecclesias propter huiusmodi Stationes visitari solitas personaliter visitarent Preterea Quadragesimalibus et aliis diebus prohibitis de utriusque Medici consilio Ovis Butiro Caseo Lacte et aliis Lacticiniis ac Carnibus uti et vesci Ceterum oratricum quelibet unacum aliis tribus aut quatuor honestis mulieribus quecumque Monasteria Monialium cuiusvis ordinis etiam sancte Clare quater in Anno de licentia illi presidentium ingredi et cum Monialibus conversari et comedere dummodo ibidem non pernoctent possint et valeant Licentiam concedere dignemini de gratia speciali Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus apostolicis Ceterisque contrariis quibuscumque Cum clausulis oportunis et consuetis

Et de reservatis premissis exceptis semel in vita et in mortis articulo
Et de aliis sedi apostolice non reservatis casibus totiens quotiens opus fuerit
Et de commutatione votorum et relaxatione iuramentorum premissis exceptis
Et de plenaria remissione et absolutione semel in vita et in mortis articulo
Et de Altari portatili cum clausula ante diem et in locis interdictis ut supra
Et quod tempore interdicti divinis interesse sacramenta recipere et sepeliri possint
Et de Stationibus Urbis visitando ecclesias aut Altaria ut premittitur
Et de Esu Butiri Casei ovorum et aliorum Lacticiniorum ac Carnium ut supra
Et de Licentia intrandi Monasteria Monialium pro Mulieribus ut supra
Et cum derogatione quarumcumque regularum Cancellarie apostolice et aliorum contrariorum
Et quod presentis duret ad vitam singulorum oratorum totiens nec sub revocationibus comprehendatur
Et quod presentium transumptis auctenticis fides etc. Et pro singulo oratore et oratricum ad partem
aliis omissis fieri et nomina ac cognomina uxoris et liberorum in eis exprimi possint
Et quod presentis supplicationis sola signatura sufficiat absque aliarum literarum expeditione
Et quoad regulares de licentia superiorum et ea durante

Concessum ut petitur in presentia d. n. pape [illegible]

Jo. Casartis

Mouret

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1824506805-11
DFG

1513 – 1521

Morbio 28 (29)

P. de Larisio / corr.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1824506805-11